

1550

*Italia frugum inopia vexata, & Venetorum sedulitas ad annonas comparandas. Daniel Barbarus a Joanne Grimano in societatem Aquilejensis patriarchatus adscitus. Jacobus Superantius in Angliam legatus.*

lifero, erogaret, quæque in Parma tuenda infumeretur, lucri fracturus esset. Julius tempus consulendo petiit, donec podagra, qua tunc vexabatur, levaretur, negotiumque omne, quod a Cæsare per Mendozzium agitabatur, Matthæo Dandulo, Reipublicæ legato, aperuit. In hac consiliorum perplexitate, atque hæsitazione annus elabitur, quem ingens annonæ frumentariæ, atque aliarum frugum inopia prægravem reddidit; quæ cum omnes fere regiones, tum Italiam præsertim corripuisset, Veneti, ut civitati, ac sui imperii populis prospicerent, quibuslibet ex locis, atque ex longinquis præsertim oris ad frumenta convehenda negotiatores, magnis propositis præmiis, attraxere, magna pecuniæ vi vectores donavere. Eodem anno Joannes Patriarcha Aquilejensis socium sibi in eo munere, curante Senatu, Daniele Barbarum, virum rerum usu, ac disciplinarum peritia eximium, tunc Reipublicæ nomine ad Eduardum Britanniae Regem legatum, adscivit: ei Jacobus Superantius successor a Senatu datus est, quem ob egregiam virtutem, atque humanitatem sibi pergratum Rex equestri dignitate decoravit.

M. D. LI.

1551

*Henricus Rex Farnesios suam opem implorantes in clientelam recipit. Julii Pontificis perturbatio & studium, ne Farnesi Parmam alicui se invito traderent.*

**J**Am Henricus Galliarum Rex, Horatio genero in clientelam suscepto, Italicum bellum adversus Cæsarem meditabatur. Desperatione etenim Farnesii adacti, quod nusquam a Carolo sibi satisfactum iri existimarent, affinitatis jure resoluti, generoso consilio præpotentis Regis, atque acerrimi Cæsaris hostis opem imploraverant. Eo facto incredibili ira correptus Pontifex gravia, atque acerba minitabatur; eorumque consilia perturbare, & disjicere, si quo modo posset, aggressus, Octavium, ne Parmam, se invito, alicui traderet, sed Ecclesiæ nomine tueretur, scripto obstringere conabatur: quæcumque ad urbem tutandam necessaria forent, suppeditaturum pollicitus. Syngrapham a Farnesio, atque Divi Angeli Cardinalibus, poena bonorum amissionis interposita, subscribendam curavit; statimque ad Octavium misit. Cæsarem eodem tempore per literas hortabatur, ne Farnesios ad extrema consilia, a quibus mox nulla neque auctoritate neque imperio revocari possent,